

*77. Instrumentum venditionis
di Cola de Prudenziio in favore
di Pietro de Pomo de Tito*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*77. Instrumentum venditionis
di Cola de Prudenziio in favore
di Pietro de Pomo de Tito*

1382-05-25

(c. 320v) In nomine domini nostri Iesu Christi amen. Anno a nativitate ipsius millesimo tricentesimo quatragesimo secundo, regnante serenissimo domino domino nostro Carolo tertio Hierusalem et Sicilie rege, Provincie et Forcalquerii ac Pedimontis comite, regnorum suorum anno primo feliciter amen, die vicesimo quinto madii, quinte inditionis, apud civitatem Potentie.

1

Nos Adenolfus de Stampis annalis iudex ipsius civitatis, Nicolaus Cortesius de civitate eadem publicus ubilibet per provincias Principatus citra serras Montorii, Basilicate et Terre Bari reginali autoritate notarius et testes subscripti ad hoc specialiter vocati et rogati, presenti scripto publico notumfacimus et testamur quod in nostri presentia constitutus Cola de Prudentio de ipsa civitate, non vi, dolo metu ductus, ut dixit, nec aliquibus monitionibus et suasionibus circumventus, sed sua libera et spontanea voluntate, sicut ei utile et expediens visum fuit, vendidit, alienavit, tradidit et per fustis traditionem assignavit, iure proprio et inperpetuum, magistro Petro de Pome de Tito, habitare <sic> ditte civitatis Potentie, ibidem presenti et ementi ac recipienti pro se suisque heredibus, petiam unam terre sitam in territorio ditte civitatis, in contrata ubi dicitur la Pescara de Andreano // (c. 321r), iuxta terras ecclesie Santi Girardi a duabus partibus limitibus comunibus, iuxta terras Fradelle de Abuano limite comuni, iuxta terras abbatis Raynaldi limite comuni et si qui alii sunt confines, ad habendum, tenendum, possidendum, vendendum, donandum, permutandum nec non quocumque modo A octuagesimo

ipso emptori et suis heredibus voluerint alienandum, cum viis suis in ipsam terram intrandi et exeundi atque cum omnibus aliis iuribus et pertinentiis suis sibi pertinentibus quovis modo; pro qua quidem venditione dittus venditor confexus fuit et contentus coram nobis se habuisse et manualiter recepisce a ditto emptore, nomine pretii, in carlenis argenti, sexaginta per unciam et duobus pro tareno quolibet computatis, tarenos viginti septem ponderis generalis, totum silicet pretium venditionis ipsius, promittens dittus venditor per se suosque heredes ditto emptori pro se suisque heredibus stipulanti, litem, controversiam vel questionem aliquam de ditta terra ullo unquam tempore non inferre, nec inferenti consentirem, sed terram ipsam preditto emptori et suis heredibus tam in proprietate quam in possessione ab omni homine et quacumque persona legitime defendere, guarentire, disbrigare et de evitione teneri et dittam venditionem et omnia et singula subscripta et infrascripta rata et firmam ac firma et rata habere perpetuo et // (c. 321v) et tenere et numquam contrafacere vel venire, per se et suos heredes aud aliquos alios quovis modo, in iudicio vel extra iudicium, de iure vel de fatto, occasione aliqua, modo, ingenio seu trattatu, sub pena dupli pretii supraditti, medietate ipsius pene regie curie vel alteri ubi exinde fatta fuerit reclamatio seu querela et altera medietate ditto emptori et suis heredibus persolvenda, me preditto notario tamquam persona publica pro parte ditte curie et ditto emptore pro se et suis heredibus a ditto venditore solemniter stipulantibus penam ipsam. Qua commissa vel non commissa aut gratiose remissa, presens nihilominus instrumentum, cum omnibus que in se continet, in suo semper robore et efficacia perseverent; et renunciavit super hiis dittus venditor, pro cautela ditti

emptoris et heredum suorum, exceptioni doli mali, vis, metus et infattum, presentis non sic celebrati contrattus reique preditto modo non geste vel aliter habite quam superius continetur et est expressum, exceptioni ditte non numerate pecunie, non habite, non solute et non recepte ac non boni argenti, legi resissorie qua deceptis ultra dimidiam iusti pretii subvenitur et omnibus aliis auxiliis et beneficiis omnium iurium // (c. 322r) atque legum, tam canonici quam civilis et longobardorum ac privilegiis quibuscumque et specialiter iuri dicenti generalem renuntiationem non valere et iuri per quod cavetur quod ditto iuri renuntiari non possit, quibus vel ipsorum aliquo suffragantibus ditta venditio et confexio aut huius scripti tenor posset in aliquo minui vel infringi; pro quibus omnibus et singulis attendendis et inviolabiliter observandis quodque preditta omnia et singula vera sunt, dittus venditor prefato emptori coram nobis corporaliter prestitit ad santa Dei evangelia iuramentum et propterea Belella uxor ditti venditoris, iure Romano vivens sicut ceteri homines et mulieres ipsius civitatis ab antiquo vixerunt et vivunt, dittam venditionem ditte terre consensit atque ratificavit et acceptavit et renuntiavit omnibus iuribus et rationibus quibuscumque ei competere et possent in futurum competere in et super, tam ratione dotium suarum et dodarii quam aliorum iurium quorumcumque; et proinde obligavit se ad penam predittam solutam et stipulatam ut supra; et pro hiis omnibus observandis, ditta Belella presenti ditto emptori similiter prestitit ad santa Dei evangelia iuramentum. Unde ad futuram memoriam et dittorum venditoris et eius uxoris preces et prefati emptoris et suorum heredum cautelam, // (c. 322v) fattum est exinde presens publicum instrumentum per

manus mei predicti notarii, signo meo solito signatum,
mei qui supra iudicis et nostrorum subscriptorum
testium, signis et subscriptionibus propriis roboratum.

2

3

4

5

6

7

8

Quod scripsi ego predittus Nicolaus publicus ut supra
notarius qui premissis omnibus rogatus interfui et meo
signo consueto signavi. (SN) † Ego Adenolfus de
Stampis de Potentia iudex qui supra † Ego domnus
Gregorius de Paldonia archipresbiter Sante Trinitatis de
Potentia interfui † Ego presbiter Gulielmus de Ansia
testis sum † Ego diaconus Angelus de Rotundo testis
sum † Ego diaconus Nicolaus de Ysaya testis sum

A non

A Pomo

A Andreucio

A Fridella de Rabuano

A ipse emptor et sui heredes

A preterea

A solvendam